

solentia; carnifex timor, deinde sanguis animæ per lacrymas profluat, postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis et sanguinis Domini, versetur ante oculos imago futuri judicii, ut cum alii accedunt ad altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet quam sit contremiscenda illa pœna, quæ percipientibus aliis vitam æternam; alii judicium sibi manducant et bibunt. In qua actione pœnitentiæ magnopere cavenda est antiqui hostis astutia, qui sæpe cum mens a culpa resipiscit, atque admissum flere conatur, spes ac securitates vacuas ante oculos vocat, quatenus utilitatem pœnitentiæ subtrahat. Modo enim aliorum facta graviora, modo nihil esse quod perpetratum est, modo misericordem Deum loquitur, modo adhuc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicetur, ut dum per hæc decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ suspendatur, quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala nulla contristant, et tunc plenius obruatur suppliciiis, quæ nunc etiam gaudet in delictis. Et memores vindictæ, quam sunt passi qui ignem alienum in conspectu Domini obtulerunt, sicut in Heptateucho legitur, providendum nobis est, ne cum affectu peccandi, vel cum delectatione peccati, ad altare Domini accedamus, nec hoc quod ostendit Apostolus in Epistola ad Corinthios incurramus. Ideo, inquit, multi inter vos infirmi et imbecilles sunt, et dormiunt multi (I Cor. xi, 39). Et postquam flamma cujusque peccati et cordis delectatio a corde deferbuerit, atque post pœnitentiæ satisfactionem, sequamur quod de Zacchæo publicano in Evangelio legimus, quia *excepit gaudens Dominum in domum suam* (Luc. xix, 6), et fecit ei magnū convivium. Cujus domus sumus nos, et cui cogitatio hominis confitetur, et reliquæ cogitationis diem festum agunt illi. Dies enim festus est Domino compunctio cordis nostri, cum in lacrymas pro amore ejus assidue movetur. Cum igitur Redemptoris nostri corpus et sanguinem accipimus, debemus nos pro peccatis nostris in fletibus affligere, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat a mentis nostræ stomacho perversæ humorem vitæ. Et post orationis et communionis tempora, quantum juvante Deo possumus, in ipso animum suo pondere et vigore servemus, ne post cogitatio fluxa dissolvat, ne vana menti lætitia subrepat, et lucra compunctionis anima per incuriam fluxæ cogitationis perdat. Sic quippe quod poposcerat Anna obtinere meruit, quia se post lacrymas in eodem mentis vigore servavit

A De qua nimirum scriptum est : *Vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati* (I Reg. i, 18). Quia igitur non est oblita quæ petiit, non est privata munere quod poposcit. »

B Hæc, rex clarissime atque charissime, accepta opportunitate de epistola, quam vobis mitti jussistis, ex sensu ac verbis catholicorum dulcioribus super mel et favum, sagittis quoque Potentis acutis cum carbonibus desolatoriis, et fulgurantibus hastis iræ Dei, et maxime de dictis favi, ut ita eum appellemus, divini eloquii, scilicet beati Gregorii, qui veraciter dicere potuit : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo* (Psal. cxviii, 35), qui quod Domino ori ejus infundente suscepit nobis dulcissime ministravit, quasi in uno fascicudo et vobis et nobis, sed et omnibus legere et intelligere et servare volentibus, colligere studui pro modulo meo, ad instar illorum, qui ad complanandum Domini Salvatoris iter ramos cædebant de arboribus. Insuper etiam scripsi per quæ vitia præcipue, non solum generis humani fluvium absorbet, verum et vineam Domini Sabaoth, id est fideles quosque, aper de silva et singularis ille ferus diabolus exterminare quantum potest non cessat, et de quibus cætera vitia oriuntur, sicut quilibet scire volens in libro Moralium tricesimo primo potest legere. Quatenus et sapientia vestra, diaboli insidiis cognitis, iter ad regnum æternum facilius carpere, et ne simplicium fidelium Christi devotio in via veritatis erret ædificati, et indignitas mea, pro imposito sibi ministerio, sermonis sonitum exhibens iram Domini quoquo modo possit effugere. Hinc enim Moysi præcipitur, ut tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur : ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni inspectoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est : *Ut audiatur sonitus quando ingreditur et egreditur : anctuarium in conspectu Domini, et non moriatur* (Exod. xxviii, 35). Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de ea sonitus non auditur : quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Sed quia, nisi sit intus qui doceat, doctoris lingua exterior in vacuum laborat, obsecranda est nobis divina clementia, ut quod per nos loquitur in auribus vestris, per sancti Spiritus organum infundat cordibus vestris, qui cum coæterno Patre suo, in unitate ejusdem Spiritus sancti, vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

III.

DE DIVERSA ET MULTIPLICI ANIMÆ RATIONE *

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Apud eundem, ex oodice S. Remigii Rhemensis.)

PRÆFATIO.

Priscatam sententia est virorum, utilia semper

* Hujus libri Flodoardus inter Hincmari opera non meminit, nec in vetusto exemplari auctoris hō-

quærentium, et posteritati inventa commendantium felices fore respublicas, si eas aut sapientes regerent,

men exprimit inscriptio, quæ sic habet : *Collectio cujusdam sapientis ex libris sancti Augustini, de di-*

aut eas regentes sapientiæ studerent. Quam sententiam præcessores nostri favorabiliter susceperunt, utiliter dictam approbaverunt, et quia salubris visa est, etiam et litteris posteritati cognoscendam mandaverunt. Cui et nos favemus, et Deo gratias referimus, utpote qui te, o bone rex, et nostræ reipublicæ præfecit, et menti ut veram sapientiam perquireret radios sui amoris infundit. Et quia tam nostra quam et illorum sententia est, Sapientis animum in inquisitione summi boni semper debere versari, dicente Propheta: *Quærite Dominum, et confirmamini, quærite faciem ejus semper (Psal. civ, 4)*, merito gratulamur te illas philosophiæ partes et colere, quæ noscuntur ad arcem veræ soliusque sapientiæ tendere. Meminisse enim semper oportet mentem principis, quid Spiritus sanctus eum admonet per clarissimos eisdemque principes et vere sapientes: *Et nunc reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et peccatis de via justa (Ps. II, 10, 12)*. Itemque: *Diligite justitiam qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum (Sap. I, 1)*. Probamus quoque acrimoniam ac vivacitatem ingenii, ut quia summum bonum quærere niteris, viam inquirendi purgare conaris, per quam ad cupita pervenire possis. Neque enim vel gressibus corporis Deo propinquatur, vel oculis ejus divina natura corporis majestasque perspicitur, sed illis passibus atque luminibus vel aggreditur, vel cernitur, de quibus Propheta: *Accedite ad eum, inquit, et illuminamini (Psal. xxiii, 6)*. Animo ergo Deus quæritur, animo Deo propinquatur, animo Deus cernitur, in cujus visione tota inquisitio summi boni adimpletur in cujus cognitione tuum nobilissimum ingenium occupari a nobis probatur, et recte omnino. Neque enim plene potest nosse superiorem se qui non curat scire se. Et quia mens humana vicina est Deo, non autem quod Deus est hoc ipsa est, agit congruenter, ut quæ vult scire summa, curet ante scire summis vicina. Et indignum valde est ut perscrutetur divina, qui non curat nosse quæ sint ipsius humana. Reddis ergo te generi avito hæc agens, qui corda mortalium ab scientia divina et humana torpentia excitarunt. Avum et homonymum tuum dicimus, Ecclesiæ sanctæ doctrinæ et fidei propugnatorem, sed et genitorem, totius bonitatis atque pietatis decus insigne. Et honeste atque utiliter tibi prospicis. Inhonestum namque est, eum qui præest in scientia deturpari. Porro utile atque honestum est, principem et sensus venustate excellere, et per sapientiam atque morum probitatem tam sibi quam et subditis prospicere. Schedulam ergo capitulorum nobis allatam studiose perspeximus, enucleatimque consideravimus, et ad singula pro captu ingenioli nostri, faultrice divinitate, adjunctis etiam sanctorum exemplis doctorum, respondere disponimus, non nostra intelligentia nitentes, sed in Deo confidentes,

versa et multiplici ratione animæ. Hincmari tamen esse multa persuadent, et Carolo Calvo regi ea

qui digna se quærenti non negabit, et ut confidimus pro tuo desiderio satisfaciendo vias nostræ tarditatis reserabit.

CAPUT PRIMUM.

Utrum anima corporea sit.

Prima ergo propositio eorundem capitulorum est: **Utrum anima corporea sit.** Porro nobis anima tante minus corporea videtur, quanto minus ex illis, quibus cuncta corpora constant, elementis compacta dignoscitur. Neque enim eam ex aere, aut igni, vel aqua, terraque consistere credimus; sed a Deo conditam dicimus, quantum quidem ad corpus spectat quod his elementis subsistit simplicem, si autem Creatori conferatur, multiplicem. Simplex enim est quantum ad corporis qualitatem spectat, quia creatio ejus, ut dictum est, ex nullis subsistit elementis: collata tamen Deo multiplex, quia variis obnoxia passionibus, modo cupiens, modo concupita fastidians, modo læta, modo tristis, modo sapit, modo desipit. Quod in Deum nullomodo cadere sobrius capit intellectus, qui Spiritum sanctum intendit a creatura discernentem Creatorem, qui per Psalmistam dicit Deo, *Mutabis ea, et mutabuntur: tu autem idem ipse es (Psal. ci, 27)*. Et iterum ipsum loquentem: *Ego Dominus, et non mutor (Malac. III, 6)*. Interea et si creatio hominis intenditur, non eam esse corpus facile deprehenditur. Ficto namque ex luto corpore a Deo, dicit Scriptura, *Insufflavit Deus in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem (Gen. II, 7)*. Si enim corpus corpori neceretur, quid duorum corporum alterum vivificaret? Nunc autem dum dicitur quia insufflaverit Deus in faciem hominis plasmati spiraculum vitæ qualiscunque insufflatio illa fuerit, spiraculum tamen illud vitæ non corpus, sed spiritus fuit, qui potentior et melior terra est, et qualicunque corpore. Cujus conjunctione, et infra torpentia membra commixtione, factus est homo in animam viventem. Non ergo eam corpus dicimus, sed spiraculum, imo spiritum vitæ, atque animam auctoritate Scripturarum freti pronuntiamus. Propheta namque dicit: *Ego Dominus extendens cælos, et fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo (Zach. XII, 1)*. Hinc est quod Psalmista, cum conspiceret omnes homines subtracta anima morte dissolvi, receptisque animabus in fine sæculi denuo reviviscere, ait: *Aufer spiritum eorum, et deficiet, et in pulverem suum revertentur. Emitte spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ (Psal. cIII, 2, 9, 30)*. Hinc iterum idem Propheta de quibusdam principibus in hac vita supervenientibus ait: *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam (Psal. cXLV, 4)*. Nec tamen dicimus animam proprie spiritum nominari, cum Deus dicatur spiritus, sicut in Evangelio habes: *Deus spiritus est (Joan. IV, 24)*, et sancti angeli spiritus vocentur, ut est: *Qui facit angelos suos spiritus (Psal. cIII, 4)*. Quod nomen etiam malignis aptari solet spiritibus soli conveniunt, quæ in Præfatione continentur. **SIRM.**

Vocatur etiam anima spiritus hominis : unde dicitur per Salomonem : *Donec revertatur pulvis in terram suam unde sumptus est, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum* (Eccle. xii, 7). Sed et aer commotus vento spiritus nuncupatur, sicut scriptum est : *Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus* (Psal. cxlviii, 8). Sed eadem substantia corpori vivificando atque regendo Creatoris munere attributa, anima proprie dicitur vocari, quasi anæma, id est a sanguine longe discreta. Videlicet quia non sicut in cæteris animantibus deficiente sanguine etiam et anima deficit, sicut Scriptura dicit : *Anima omnis carnis in sanguine est* (Lev. xvii, 11); sed potius quod deficiente corpore, magnum cujus sustentaculum est sanguis, anima nequaquam intereat. Dicitur etiam a quibusdam anima ab eo nominata, quod animet, id est vivificet substantiam corporis. Ut autem quid de ea sentiamus plenius aperiamus, non nostris, verum Creatoris credatur dictis, qui animam spiritus vocabulo a corpore sejungens, naturam et dignitatem potestatemque ejus a corpore distinxit, cum ait : *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam* (Joan. vi, 64). Itemque : *Quod natum est de carne, caro est : et quod natum est ex spiritu, spiritus est* (Joan. iii, 6). Quanquam etsi non cum corpore, tamen cum similitudine corporis cernitur vel cernitur, vel cum se abducit et removet a sensibus corporis, quod fit in somnis cum multiplicibus visis occupatur, vel cum per ectasin, id est mentis excessum, in diversa abducitur, seu cum tota separatur a corpore, quod fit in morto, et vel ad pœnas perpetuas, vel ad gloriam transfertur æternam. In his namque, etsi non corpus quod non est ipsa cernitur, tamen similitudinem corpoream habere creditur.

CAPUT II.

Utrum anima localiter teneatur in corpore.

Secundum capitulum est : Utrum localiter teneatur in corpore. Dicimus quidem, et firmiter retinemus, ut superiori capitulo respondimus, animam non esse corpus sed spiritum, et spiritum non localiter, ut moris est corporibus, determinari, ut alibi major, alibi sit minor. At vero animam, cum sit spiritus, corpore contineri mirabili atque ineffabili modo, Scripturarum novimus auctoritate sacrarum. Ut est in Job : *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea?* (Job iv, 18.) Itemque in oratione Eliæ : *Domine Deus, revertatur oro anima pueri hujus in viscera ejus* (III Reg. xvii, 21); et post paululum : *Et reversa est anima pueri intra eum. et re. ixit.* Paulus quoque de se et similibus sibi loquitur : *Sed licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem* (II Cor. iv, 16). Et item : *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis* (II Cor. v, 1). Itemque : *Nam et qui sumus in hoc ta-*

bernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita (ibid., 4). Et post non multa : *Audemus autem, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, et præsentem esse ad Deum* (ibid., v, 8). Item ipse : *Habemus thesaurum istum in vasculis fictilibus* (II Cor. iv, 7). Demonstrat etiam evangelista mortis tempore animam a corpore prodire, cum de Domino dicit : *Et inclinato capite tradidit spiritum* (Joan. xix, 30). Quem locum exponens pater Augustinus dicit : « Quo significata est mors corporis anima exeunte. » De qua re melius Patrum auctoritati, quam nostræ credatur assertioni. Beatus enim Ambrosius in libro Hexameron quarto ita dicit (cap. 6) : « Quid enim est caro sine animæ gubernaculo, mentis vigore? Caro hodie sumitur, cras deponitur : caro temporalis, anima diuturna : caro amictus est animæ, quæ se induit quodam corporis vestimento. Non igitur tu vestimentum es, sed qui vestimento uteris. » Item ipse in Epistola ad Orontianum (epist. 31) : « Unaquæque anima, videns se corporeo isto clausam gurgustio, quæ tamen terrenæ hujus habitationis consortio non degenerarit, ingemiscit gravata corporis hujus conjunctione, quia corruptibile corpus gravat animam, et inclinat terrenum habitaculum mentem multarum cogitationum. » Ecce qualis et quantus vir amictum animæ corpus nominat, et intra corpus quasi quoddam gurgustium clausam asseverat. Beatus porro Augustinus, vir cautissimus atque disertissimus, in libro de Quantitate animæ definitionem ejus mirabili brevitate et veritate expressit, dicens (cap. 13) : « Nam mihi videtur esse, subauditur anima, substantia quædam rationis particeps, regendo corpori accommodata. » Et post non multa (cap. 14) : « Quid mirum, si anima neque corporea sit, neque ulla aut longitudine porrecta, aut latitudine diffusa, aut altitudine solidata, et tamen tantum valeat in corpore, ut penes eam regimen sit omnium membrorum, et quasi cardo quidam in agendo cunctarum corporaliū motionum? » Superius porro, cum sciret Deum omnia in mensura et numero et pondere disposuisse, spatium ejus, quod Deus penes se notum habet, a corporali distinxit, cum ait (ibid.) : « Nam profecto quoniam corpus non est (neque enim aliter in corpore ulla cernere valeret, ut superior ratio demonstrabat), procul dubio caret spatio quo corpora metiuntur, et hoc recte credi, aut cogitari, aut intelligi talis ejus quantitas non potest. » Quem sensum plenius in libro sexto de Trinitate isdem doctissimus vir multo manifestius excolit, dicendo (cap. 6) : « Ideo simplicior est corpore, subauditur anima, quia non mole diffunditur per spatium loci, sed in unoquoque corpore et in toto tota est, et in qualibet ejus parte tota est. Et ideo cum sit aliquid in quavis exigua particula corporis, quod sentiat anima, quamvis non fiat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non latet. » Item ipse in libro de Civitate Dei vigesimo primo (cap. 8) : « Prima mors

animam nolentem pellit de corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore. Ab utraque morte communiter id habetur, ut quod non vult anima, de suo corpore patiatur. » Idem ipse in eodem. « Iste alius modus, quo corporibus adhærent spiritus et animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, et hoc ipse homo est. » Ipse in libro vigesimo secundo (cap. 6) : « Si enim animæ tantummodo essemus, id est sine ullo corpore spiritus, et in cælo habitantes terrena animalia nesciremus, nobisque futurum esse diceretur, ut terrenis corporibus animandis quodam vinculo mirabili necteremur, nonne multo fortius argumentaremur id credere renuentes, et diceremus naturam non pati, ut res incorporea ligamento corporeo vinciretur? Et tamen plena est terra vegetantibus animis hæc membra terrena miro sibi quodam modo connexa et implicita. » Idem ipse in eodem libro (cap. 11) : « In terreno ergo quid facit corpore? subauditur anima, in hac mole quid agit subtilior omnibus? in hoc pondere quid agit levior omnibus? in hac tarditate quid agit celerior omnibus? Itane per hujus tam excellentis naturæ meritum non poterit effici ut corpus ejus levetur in cælum? et cum valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorsum, aliquando et animæ levare sursum terrena corpora non valebunt? » Idem in libro septimo de Genesi ad litteram (cap. 24) : « Credatur ergo, si nulla Scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem humani ratio causalis in elementis mundi, anima vero jam ipsa crearetur sicut primitus conditus est dies, et creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando; hoc est inspirando, formato ex limo corpori insereret. » Sed et vir maximæ auctoritatis Hieronymus in epistola ad Paulam consolatoria ita ponit (epist. 25 de obitu Blæsillæ) : « Postquam autem sarcina carnis abjecta ad suum anima revolavit auctorem, et in antiquam possessionem diu peregrinata conscendit, ex more parantur exsequiæ. » Idem ipse in Epitaphio Nepotiani (epist. 3 ad Heliod.) : « Ubi nunc decora illa facies? ubi totius corporis dignitas, quo veluti pulchro indumento pulchritudo animæ vestiebatur? Marcebat, proh dolor! flante austro liliū, et purpura violæ in pallorem sensim migrabat. » Beatus quoque Gregorius in libro quinto Moralium ita dicit (cap. 25) : « Cum enim corporeas imagines deserit, in semetipsam mens veniens non modicum ascendit. Sed quamvis incorporea sit anima, quia tamen corpori inhæret, ex ipsa sui qualitate localis agnoscitur, quæ carnalibus locis detinetur. Quæ dum obliviscitur scita, cognoscit incognita, meminit oblivioni mandata, hilarescit post tristitiam, addicitur post lætitiā, ipsa sui diversitate indicat quantum a substantia æternæ et incommutabilis naturæ distat, quæ semper ut est idem est, ubique præsens, ubique invisibilis, ubique tota, ubique incomprehensibilis. » Idem ipse in consequentibus

A (cap. 28) : « Luteas quippe domos habitamus, quia in corporibus terrenis subsistimus. Quæ bene Paulus considerans, ait : *Habemus thesaurum istum in vas fictilibus* (II Cor. iv, 7). » Et post non multa (ibid.) : « Tinea autem de veste nascitur, et eandem vestem de qua critur, oriendo corrumpit. Quasi vero quædam vestis animæ caro est. Sed hæc nimirum vestis habet tineam suam, quia ab ipsa carnalis tentatio oritur, ex qua laceratur. » Cassiodorus quoque, vir acerrimi ingenii et insignis eruditionis, in libro quem de Anima conscripsit, magistros sanctæ Ecclesiæ in hac re, sicut et in aliis, se sequi ostendit, cum dicit post alia (cap. 8) : « Mirum præterea videtur, rem incorpoream, membris solidissimis colligatam, et sic distantes naturas in unam convenientiam fuisse adductas, ut nec anima se possit segregare cum velit, nec retinere cum jussionem Creatoris agnoverit. Clausa illi sunt universa cum præcipitur insidere, aperta quoque redduntur cum jubetur exire. Nam si acerbus dolor vulneris infligatur, sine auctoris imperio non amittitur, sicut nec sine ipsius munere custoditur. Hinc est quod frequenter graviter vulneratos videmus evadere, et rursus levibus occasionibus interire. » Ecce quot et qualibus non argumentis, sed documentis ostenditur nobis animas corporibus vel indutas, vel colligatas, vel vinctas. Quorum auctoritati periculosum videtur nobis refragari. Restat ergo, si his non creditur, multa de divinis libris abradi, et cum ipsis mulcatis tantorum virorum doctrinam labefactari, aut quod est ratiū, contradictorem horum ab Ecclesiæ societate secerni.

CAPUT III.

Utrum anima cum corpore moveatur per loca.

Tertium capitulum est : Utrum anima cum corpore moveatur per loca. Hoc capitulum videtur esse subobscurum, quoniam non aperte ostendit, utrum perquirat, si anima cum aliquo corpore exeat ex hoc quod gestat corpore, an cum isto, quod ei divinitus adjudicatum est, moveatur per loca. Sed si requiritur utrum anima cum aliquo corpore exeat e corpore, beatus Augustinus ad hoc respondet in epistola ad Evodinum (epist. 100) : « Si autem, inquit, breviter vis audire, quid mihi videatur, nullo modo arbitror animam e corpore exire cum corpore, et cætera quæ in eadem epistola continentur. » Si autem quæritur si cum corpore moveatur per loca, id est cum isto corpore quod gestat, miram quomodo dicatur moveri, cum non moveatur a corpore, sed ipsa moveat corpus. Nam sine ejus præsentia vel nutu nullatenus corpora moveri, qui superiora intendit, manifeste cognoscit. Quam si abscedere contigerit, fiet quod scriptum est : *Ut revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum* (Eccle. xii, 7). Attamen sicut ejus cum corpore copulam incomprehensibilem dicimus, ita etiam potestatem et nutum illius, quo corpus vivificatur, vegetatur, et regitur, spiritalem et ob id nobis incomprehensibilem dicimus. Viderit tamen aliquis,

cum alicunde digreditur, et alio perventum fuerit, utrum animam se vegetantem et vivificantem aliquo reliquerit, sine cujus, ut dictum est, præsentia moverit corpus nequiverit. Quam circumscriptam esse auctoritate Patrum constat, sicut et angelicos spiritus. Qui utique majoris nunc sunt dignitatis, et crebro ad ministeria mittuntur humana, dicente Paulo : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis?* (Hebr. 1, 14.) Unde et beatus papa Gregorius in libro secundo *Moralium* ita dicit (cap. 2) : « In hoc itaque est nunc natura angelica a naturæ nostræ conditione distincta, quod nos et loco circumscribimur, et cæcitatibus ignorantia coarctamur; angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientia longe super nos incomparabiliter dilatatur. » Nec ignoramus beatum Augustinum quibusdam argumentationibus ad hoc pene pervenisse, ut diceret animas moveri tempore, et non loco. At vero, ut nobis videtur, considerans multa sibi objici posse, quæ isti viderentur sententiæ contraire, more suo quod asserere visus est, moderate studuit temperare, dicendo in libro de *Genesi* octavo (cap. 22) : « Ut dicere, inquit, cœperam, si de anima quisque hoc non vult credere, non nimis urgendus est. » Porro autem quid anima in sensibus operetur corporis, et quia inter cætera etiam motu delectatur, idem beatus Augustinus attestatur in libro de *Quantitate animæ* (cap. 33) : « Nunc quod institueram intēde, quæ si vis animæ in sensibus, atque in ipso motu manifestioris animantis, quorum nobis cum his quæ radicibus fixa sunt nulla potest esse communio. Intendit se anima in tactum, et eo calida, frigida, aspera, lenia, dura, mollia, levia, gravia sentit atque discernit. Deinde innumerabiles differentias saporum, odorum, sonorum, formarum, gustando, olfaciendo, audiendo, videndoque judicat. Atque in his omnibus ea quæ secundum naturam sui corporis sunt asciscit atque appetit, rejicit fugitque contraria. Removet se ab his sensibus certo intervallo temporum, et eorum motus quasi per quasdam ferias reparans, imagines rerum, quas per eos hausit, secum catervatim et multipliciter versat. Et hoc totum est somnus et somnia. Sæpe etiam gestiēdo ac vagando facilitate motus delectatur, et sine labore ordinat membrorum concordiam. Pro copulatione sexus agit quod potest, atque in duplici natura societate atque amore molitur unum. In fetibus non jam gignendis tantummodo, sed etiam fovendis, alendisque conspirat. Rebus inter quas corpus agit, et quibus corpus sustentat, consuetudine sese innectit, et ab eis quasi membris ægre separatur. »

CAPUT IV.

Utrum omnis creatura corporea sit, et solus Deus incorporeus.

Quartum locum tenet percontatio, utrum omnis creatura corporea sit, et solus Deus incorporeus.

PATROL. CXXV.

A Jam quidem in superioribus satis superque, ut putabamus, ostensum est, nec Deum esse corporeum, neque angelicam dignitatem, sed nec humanarum substantiam animarum : maxime cum Filius Dei ipse Deus dicat de Deo et Patre ac Spiritu sancto : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (Joh. 14, 17), id est non in templo, neque in monte, quæ sunt corpora, sed in spiritu et veritate, id est in mente, et non in aliqua imaginatione, quam sibi humanus animus de Deo solet confingere. Quod autem sancti angeli spiritus sint, et non corpora. Spiritus sanctus per Psalmistam loquitur, de Deo dicens : *Qui facit angelos suos spiritus* (Psal. 104, 4). Videlicet ostendens quia eos, quos Deus in ministerio suo semper spiritus habet, mittendo angelos id est nuntios facit. Nomen enim angelorum officium est, non natura. Sed et humanarum animarum substantiam non esse corpus, sed spiritum, testatur Paulus qui dicit : *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* (I Cor. 2, 11.) Itaque et Deum, et angelorum animarumque humanarum substantiam, non corpus dicimus, sed spiritum. Sed Spiritum Deum tanquam Creatorem : angelos autem et animas spiritus quidem, sed tanquam a Deo creatos. Sed merito movet quomodo beatus Paulus apostolus Deum laudans, immortalem et invisibilem solum Deum dicit cum ait : *Regi autem sæculorum immortalis, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum, Amen* (I Tim. 1, 17), cum constet et angelos immortales, animasque humanas, atque invisibiles, quantum ad naturam spectat, conditas. Itemque in eadem epistola ad Timotheum (I Tim. 6, 15) : *Quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessibilem.* Quomodo enim solus beatus ille, cum dicatur et *Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum* (Psal. 1, 1), etc. Et : *Beatus est vir qui timet Dominum* (Psal. 111, 1). Et : *Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus invenerit vigilantem?* (Matth. 24, 46.) Quomodo solus potens, si *Beati viri semen potens erit in terra* (Psal. 113, 2), quam intelligimus viventium? Quomodo solus habet immortalitatem, cum nec angeli mori possint, et animæ humanæ immortales sint creatæ? Sed intelligimus, quantum quidem ad naturam substantiamque earum attinet, inferiorumque creaturarum quæ sunt utique corporales, eas et invisibiles atque sapientes, necnon et beatas et potentes et immortales munere Creatoris : collatas tamen Creatori, propter excellentem magnitudinem nihil horum habere. Ipse enim hæc tanquam solus habet, qui a nullo accepit ut haberet. Porro autem, sive angelici spiritus, sive humanæ animæ, ex ejus fonte tanquam rivuli acceperunt, ut in eos hæc vena dignitatis emanaret. Porro in epistola ad Hebræos ita etiam dicit : *Vivus est enim Dei sermo et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compaginatus*

quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda sunt et aperta oculis ejus (Hebr. iv, 12). Quæ testimonia collata nodum quæstionis propositæ perfecte absolvunt, quia qui solus est invisibilis, et solus lucem inhabitat inaccessibleem, et quem vidit hominum nemo, sed nec videre potest (I Joan. iv), et qui exsuperat omnem sensum (Philip. iv), de eodem item dicitur, quod non sit ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, et omnia nuda sunt et aperta oculis ejus. Cum ergo, ut jam dictum est, ipse dicatur invisibilis, et invisibilia omnia nuda et aperta sint oculis ejus, id est quia ipse quidem omnia tanquam nuda aspiciat, a nulla autem creatura, nisi quantum ipse gratuito munere permittit, videatur, certum est quod ea quæ natura sunt incorporea, comparatione illius habeantur quasi corporea. Unde beatus papa Gregorius in libro *Moralium secundo*, dum de his loqueretur ait (cap. 2) : « Angelorum itaque scientia comparatione nostræ scientiæ valde dilatata est, sed tamen comparatione divinæ scientiæ angusta. Sicut et ipsi illorum spiritus comparatione quidem nostrorum corporum spiritus sunt, sed comparatione summi et incircumscripti spiritus corpus. Et mittuntur igitur, et assistunt : quia et per hoc quod circumscripti sunt exeunt, et per hoc quod intus quoque præsentibus sunt, nunquam recedunt. » Poteramus quidem et plura exempla ponere, in quibus sancti Patris solent angelorum spiritus corpora nominare : sed brevitati studentes de his studuimus rejicere, dum hæc sola putamus sufficere.

CAPUT V.

Utrum natura animæ terminos corporales excedat.

Deinde ordine suo ponitur capitulum : Utrum natura animæ terminos corporales excedat. In qua re anceps noster fluctuat intellectus, quos terminos dicere velit corporales : utrumve istos quibus circumdata est, membris scilicet carnalibus, an omnia corpora, ut sunt cælum, et terra, et quæ his continentur. Sed ad utrumque respondemus pro captu nostro. Anima namque terminos corporis sui excedit, dum longius per oculos corporis videt, quam ipsum corpus spatiatur, longius audit, longius odoratur, et extra se tactum porrigit. Dum ergo hos sensus ultra corpus extendit, et his aliquando aut delectatur placitis, aut asperatur ingratis, manifestum est eam hos terminos corporales excedere. Si autem de omni corpore quæritur, utrum scilicet omnia corporalia excedat, manifestum est hæc non per sensus corporis sibi subjectos, sed per suos agere proprios, cogitatione scilicet, memoria et conjectura. Hinc beatus Ambrosius ait (lib. vi *Hexamer. c. 8*) : « Non ergo caro potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra quæ libera est, et diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, quæ considerando spectat omnia. Ecce nunc sumus in Italia, et cogitamus quæ ad Orientales aut Occidentales partes

Aspectare videntur, et cum illis versari videmur, qui in Perside sunt constituti, et illos videmus quid agant in Africa. Si quos cognitos bonis in terra susceperit, sequimur proficiscentes, inhæremus peregrinantibus, copulamur absentibus, alloquimur separatos. Defunctos quoque ad colloquium suscitamus, eosque ut viventes complectimur et tenemus, et vitæ officia his usumque deferimus. Ea igitur est ad imaginem Dei, quæ non corporea æstimatur, sed mentis vigore quæ absentes videt, transmarina vis ubi obit, percurrit aspectu, scrutatur abdita, huc atque illud uno momento sensus suos per totius orbis fines et mundi secreta circumfert. Quæ Deo jungitur, Christo adhæreret. Descendit in infernum, atque ascendit, libera versatur in cælo. Denique audi dicentem : *Nostra autem conversatio in cælis est* (Philip. iii, 20). » Augustinus in epistola ad Evodium (epist. 100) : « Visiones autem illæ, futurorumque prædictiones quomodo fiant, ille jam explicare conetur, qui novit qua vi efficiantur in unoquoque animo tanta cum cogitat. Videmus enim, planeque cernimus, in eo fieri multarum rerum visibilium, et ad cæteros corporis sensus pertinentium, innumerabiles imagines : quæ non interest quam ordinate vel turbide fiant, sed tantum quia fiunt, quod manifestum est, qua vi et quomodo fiant, quisquis potuerit explicare, quæ omnia certe quotidiana sunt atque continua, audeat præsumere aliquid ac definire, etiam de illis rarissimis visis. Ego autem tanto minus hoc audeo, quanto minus id quoque in nobis, quod vita continua vigilantes dormientesque experimur, quo pacto fiat explicare sufficio. Nam cum ad te dictarem hanc epistolam, te ipsum animo contuebar, te utique absente atque nesciente, et quomodo possis his verbis moveri, secundum notitiam quæ mihi de te inest imaginabar : atque id quonam modo in animo meo fieret, capere ac investigare non poteram, certus tamen non fieri corporeis molibus, nec corporeis qualitatibus, cum corpori simillimum fiat. » Ex libro ex *Civitate Dei* decimo quinto : « Fieri ista in animo, vel ab animo nostro novimus, et certissimi sumus. Quomodo autem fiant, quanto attentius valuerimus advertere, tanto magis noster et sermo succumbit, et ipsa non perdurat intentio, ut ad liquidum aliquid nostra intelligentia etsi non lingua perveniat : et putamus nos, utrum Dei providentia eadem sit quæ memoria, et intelligentia, qui non singula cogitando aspicit, sed una et æterna, in immutabili atque infabibili visione complectitur cuncta quæ novit, tanta mentis infirmitate posse comprehendere ? In hac igitur difficultate et angustiis libet exclamare ad Deum vivum : *Mirificata est scientia tua ex me, involuit et non potero ad illum* (Psal. cxxxviii, 6). *Ex me, inquit, intelligo quam sit mirabilis et incomprehensibilis scientia tua qua me fecisti, quando nec me ipsum comprehendere valeo quem fecisti : et tamen in meditatione mea exardescit ignis, ut quæram faciem tuam semper. »*

CAPUT VI.

Utrum Deus per tempora et loca moveatur.

Septimum capitulum succedit : Utrum Deus per tempora et loca moveatur. Mirum et valde mirabile, si aliquis tam stolidus reperiatur, qui putet per tempora moveri conditorem temporum. Quomodo enim moveri potest per tempora qui contempora, quæ sunt mutabilitati obnoxia? Nam etiam David, considerans eum nec initium hanc termino angustari, ait : *Initio tu terram creasti, Domine, et opera manuum tuarum sunt cæli. scribunt, tu autem permanes, et omnia ut vestimenta veterascent. Et sicut amictum mutabis eos, labuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui facient* (Psal. cī, 26-28). Quisquis ergo considerat in his dictis, quod initio, id est temporibus creatis, terram et cælum Dominus fundaverit, et in his mutatis idem ipse sit, facile videt, non esse initium cepisse cum tempore, vel finem sortem temporibus, quibus incipientibus ipse fuerit, et in fine temporibus idem ipse incommutabilis persistet. Et quidem creaturam per tempora moveri videtur et quædam sidera in motu constituit, tempore ipsa sibi succedere iussit, acris qualitatem voluit, terræ faciem diverso modo vicissim alternatim succedere statuit, hominemque per varias usque ad ultimum vitæ tempus voluicavit, se ipsum tamen nulla mutabilitatis monstrinxit. Unde ad Moysen ait : *Ego sum qui tibi dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos* (Exod. iii, 14). Movenitur per tempora quæ sunt cum tempore. Solus porro ille cum tempore non potest moveri, quem constat nulla mutabilitatis contingere. Porro per loca quis moveri Deum putet, et de semetipso dicat : *Cælum et terram ego creavi* (Jer. xxiii, 24.) Et item : *Quam domum ædificavi mihi, dicit Dominus, aut quis locus requiescens? nonne manus mea fecit hæc omnia?* (Isa. xli, 4.) Itemque Salomon sapientissimus ait loquens ad Deum : *Si enim cælum et cæli cælorum te non possunt, quanto magis hæc domus quam vi?* (III Reg. viii, 27.) Et iterum de Sapientia, quæ est, scribitur : *Attingit autem a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. i, 7). Si ergo ejus vis omnia penetrat, et angustia creatoris magnitudini creatura per eum condita, etiam ista dicente : *Magnitudinis ejus non est finis* (Job. xliv, 3), quis credere possit eum per locum moveri, cui non patet locus alibi secedendi? Si omnia implet, nullus vacuus locus remanet. Quomodo potest implere omnia qui condidit universa. Augustinus in libro de Genesi ad litteram octavo libro : « Dicimus itaque ipsum summum, verum, et æternum, id est Deum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, id est Deum, Verbumque ejus, et utriusque personam, Trinitatem ipsam, neque confusam, neque divisoam, Deum qui solus habet immortalitatem, in quo habitat inaccessible, quem nemo hominibus vidit, nec videre potest, nec locorum vel finito

vel infinito spatio contineri, nec temporum vel finito vel infinito volumine variari. Neque enim est in ejus substantia qua Deus est, quod brevius sit in parte quam in toto, sicut necesse est esse in iis quæ in locis sunt : aut fuit in ejus substantia quod jam non est, vel erit quod nondum est, sicut in naturis quæ possunt temporis mutabilitatem pati (cap. 10). Hic ergo incommutabili æternitate vivens creavit omnia simul, ex quibus currebant tempora, et implerentur loca, temporalibusque et localibus rerum motibus sæcula volverentur. In quibus rebus quædam spiritalia, quædam corporalia condidit : formans materiam, quam nec alius, nec nullus, sed omnino ipse informem ac formabilem instituit, ut formationem suam non tempore, sed origine præveniret. » Isidorus in libro Sententiarum, quod Deo nulla temporum successio ascribitur ita dicit (lib. i, c. 8) : « Omnia tempora præcedit divina æternitas. Nec in Deo præteritum, præsens, futurumve aliquid creditur, sed omnia præsentia in eo dicuntur, quia æternitate sua cuncta complectitur. Alioquin mutabilis est Deus credendus, si ei successiones temporum ascribuntur. Si semper aliqua essent cum Deo tempora, non esset tempus, sed esset æternitas, nec mutarentur tempora, sed starent. »

CAPUT VII.

Utrum anima sola tempore moveatur.

Septimum in ordine capitulorum locum tenet, Utrum anima sola tempore moveatur. De qua in superiori capitulo dictum continetur. Stupemus autem, cur quæsitum sit, utrum anima sola tempore moveatur, cum omnia quæ vivunt quidem succo et viriditate, sed et ea quæ vivunt quidem anima et carent ratione, subjecta sint motui per tempus. Frustra igitur de anima sola utrum tempore moveatur requiritur, quod ei cum pluribus creaturis commune esse probatur. In hoc tantum distans, quod ea mutabilitas temporis, quæ aliis accidit plurimis increcendo, imminuendo, corporalibus utique modis, huic accidit spiritaliter, sicut est sapere et desipere. In his namque solis crescere et decrescere dicitur anima. Nam temporaliter movetur, sicut jam præfatum est, cum de aliis ad alia transfertur, non cremento aut diminutione, sicut se habent plurimæ creaturæ, quæ moventur corporali conversione. Sed motio ejus maxime consistit in morum voluntatisque permutatione. Ipsa tamen locum cardinis tenens, cum sit spiritus, vivificat ac movet localiter suis nutibus corpus. Motionem namque ejus propriam pater Augustinus more suo excellenter insinuat, in expositione psalmi centesimi quadragesimi quinti dicens : « Ecce homo stat, cantat Deo aliquanto prolixius, et sæpe labia moventur ad cantum, cogitatio autem per nescio quæ desideria volat. Stabat ergo mens nostra quodam modo ad laudem Dei, et anima nostra per diversos cupiditates vel curas negotiorum hac atque illac fluitabat. Quasi desuper attendit ipsa mens ad fluitantem hac atque illac, et

ejus inquietudine molestiarum quasi conversa alloquitur : *Lauda, anima mea, Dominum*, quid est quod de aliis rebus satagis? quid est quod te occupat cura rerum terrenarum atque mortalium? Sta mecum, lauda Dominum. Et quasi ipsa anima prægravata, et non valens ita consistere ut dignum est, respondet menti : *Laudo Dominum in vita mea*. Quid est in vita mea? quia modo in morte mea sum. Ergo prius exhortare te, et dic : *Lauda, anima mea, Dominum*. Respondet tibi anima tua : *Laudo quantum possum, tenuiter, exiliter, infirmiter*. Quare? quia quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Quare sic laudas Dominum, non perfecte, non stabiliter? Interroga Scripturam, qui *corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem* (Sap. ix, 15). Tolle mihi corpus quod aggravat animam, et laudo Dominum. Tolle mihi terrenam habitationem deprimentem sensum multa cogitantem, et a multis in unum confluam ut laudem Dominum. Quamdiu autem ita sum, non possum, prægravor. Quid ergo? silebis, et non laudabis perfecte Dominum? *Laubabo Dominum in vita mea.* »

CAPUT VIII.

Utrum substantia divinitatis corporalibus oculis post resurrectionem corporum videatur.

Octavum capitulum, quod et ultimum est, requirit, utrum substantia divinitatis corporalibus oculis post resurrectionem corporum videatur. Scimus quidem sanctorum desideria in hac vita positurum ad hoc potissimum anhelare, ut Deum mereantur videre. Et hoc totum est, propter quod hic carnem macerant jejuniis et vigiliis, aliisque afflictionum generibus, sicut Paulus apostolus dicit; propter quod et emolumenta cuncta contemnant temporalia, quantum fieri potest: et si necessitas exegerit, etiam et corpus suum multimodæ tradunt passioni. Et quia hic positi, id est carnis onere prægravati, cum videre nequeunt, sicut Dominus Moysi ait : *Non enim videbit me homo, et vivet* (Exod. xxxiii, 30), satagunt hic corda mundare et quantum posse est ad hoc purificare, ut ad ipsius visionem mereantur pertingere, hic interim per speculum in ænigmate, et post facie ad faciem, dicentes Deo intimis suspiriis : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, locum habitationis gloriæ tuæ* (Psal. xxv, 8). Itemque : *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram. Ne avertas faciem tuam a me, ne declines in ira a servo tuo* (Psal. xxvi, 8). Sed et illud : *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei?* (Psal. xli, 3.) Certissime enim sciunt, quia remuneratio laborum eorum est visio Conditoris sui. Quod ostendit Psalmista cum dicit Domino : *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (Psal. xvi, 15). Quod etiam ipse Dominus, qui summam beatitudinis constare demonstrat, in aspectu Dominicæ visionis, dicendo : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. v, 8). Itemque

promittendo illis : *Qui diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo meipsum illi* (Joan. xiv, 21). Et non solum se, sed etiam Patrem et Spiritum sanctum, inseparabilem scilicet trinum Deum, dilectoribus suis promittit adfuturum, cum dicit : *Qui diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (ibid., 23). Sed et de Spiritu sancto promittit quod apud eos maneat, et in eis sit. Sed hæc visio utrum per oculos corporeos fiat, an incorporeos, multo quæsitu investigatum est, et a sanctis Patribus res tanta, eo quod sit obscurissima, maxima disputatione pulsata. Dicitur tibus aliis, quod Deus invisibilis non posset videri per creaturam visibilem atque corpoream : sequitur quod Apostolus dicit : *Nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (I Cor. xiii, 12). hoc sit quod ait : *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (ibid.). Alii vero asserunt congrue, ut corpori spiritali id attribatur muneris, ut quamvis corpus sit, quia spiritali tamen præditum est dignitate, ipsam Redemptoris sui mereatur gloriam contueri, pro cuius amore non dubitavit in hoc sæculo diversis cruciatibus atque laboribus affici. De qua re unius hoc est beati Augustini dicta ponimus, qui præcessorum suorum sensus relegens quid de hoc senserit videamus. « Quapropter cum ex me, inquit (lib. xxii de Civit. Dei, cap. 9), quaeritur quid acturi sint sancti in illo corpore spiritali, non dico quod jam video, sed dico quod credo, secundum illud quod in Psalmo lego : *Credidi propter quod locutus sum* (Psal. cxv, 1). Dico itaque quod visuri sunt Deum in ipso corpore. Sed utrum per ipsum, sicut per corpus nunc videmus solem, lunam, stellas, mare, ac terram, et quæ sunt in ea, non parva quæstio est. Durum est enim dicere, quod sancti talia corpora tunc habebunt, ut non possint oculos claudere atque aperire cum volunt : durius autem, quod ibi Deum quisquis oculos clauscrit non videbit. Si enim propheta Elisæus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit ei Naaman Syrus, quem propheta memoratus a lepræ deformitate mundaverat, quod servus nequam domino suo non vidente latenter se fecisse putaverat (IV Reg. v), quanto magis in illo corpore spiritali videbunt sancti omnia, non solum si oculos claudant, verum etiam unde sunt corpore absentes? Tunc enim erit perfectum illud de quo loquens Apostolus : *Ex parte enim cognoscimus, inquit, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est evacuabitur* (I Cor. xiii, 9). Deinde ut quomodo posset aliqua similitudine ostenderet, quantum ab illa quæ futura est distet hæc vita, non qualiumcunque hominum, verum etiam qui præcipua hic sanctitate sunt præditi : *Cum essem, inquit, parvulus, quasi parvulus sapiebam, quasi parvulus loquebar, quasi parvulus cogitabam. Cum autem factus sum vir, evacuavi quæ parvuli erant. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad fa-*

ciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (I Cor. XIII, 11). Si ergo in hac vita, ubi hominum mirabilium prophetia ita comparanda est illi vitæ quasi parvuli ad juvenem, vidit tamen Elisæus accipientem sibi munera servum suum ibi ipse non erat, itane cum venerit quod perfectum est, nec jam corpus corruptibile aggravabit animam, sed incorruptibile nihil impedit, illi sancti ad ea quæ videnda sunt oculis corporeis, quibus Elisæus absens ad servum suum videndum non indiguit, indigebunt? Nam secundum interpretes septuaginta, ista sunt ad Giezi verba prophetæ: *Nonne cor meum iit tecum, quando conversus est vir de curru in obviam tibi, et accepisti pecuniam?* etc.; sicut autem ex Hebræo interpretatus est presbyter Hieronymus: *Nonne cor meum, inquit, in præsentem erat, quando reversus est homo de cursu suo in occursum tui (IV Reg. v, 26).* Corde suo ergo se dixit hoc vidisse propheta, adjuto quidem mirabiliter nullo dubitante divinitus. Sed quando amplius tunc omnes munere isto abundabunt, cum Deus erit omnia in omnibus? Habebunt tamen etiam illi oculi corporei officium suum, et in loco suo erunt, uteturque illis spiritus per spiritale corpus. Neque enim et ille propheta, quia non eis indiguit ut videret absentem, non eis usus est ad videnda præsentia, quæ tamen spiritus videre posset, etiamsi illos clauderet, sicut vidit absentia ubi cum eis ipse non erat. Absit ergo ut dicamus illos sanctos in illa vita Deum clausis oculis non visuros, quem spiritu semper videbunt. Sed utrum videbunt etiam per oculos corporis, cum eos apertos habebunt, inde quæstio est. Si enim tantum poterunt in corpore spiritali, eo modo utique etiam ipsi oculi spirituales, quantum possunt isti quales nunc habemus, procul dubio per eos Deus videri non poterit. Longe itaque alterius erunt potentiæ, si per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed ubique tota est. Non enim quia dicimus Deum et in cælo esse et in terra, ipse quippe ait per prophetam: *Cælum et terram ego impleo (Jer. xxiii, 24),* aliam partem dicturi sumus eum in cælo habere, et in terra aliam: sed totus in cælo est, totus in terra, non alternis temporibus, sed utrumque simul, quod nulla natura corporalis potest. Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, non ut acrius videant, quam quædam perhibentur videre serpentes et aquilæ (quantalibet enim acrimonia cernendi eadem quoque animalia, nihil aliud possunt videre quam corpora), sed ut videant et incorporea. Et fortasse ista virtus magna cernendi data fuerit ad horam, etiam in isto mortali corpore, oculis sancti viri Job, quando ait ad Deum: *In obauditum auris audiebam te prius, nunc autem oculus meus videt te. Propterea desperi memetipsum, et distabui, et existimavi me terram et cinerem (Job xlii, 5).* Quamvis nihil hic prohibeat oculum cordis intelligi, de quibus oculis ait Apostolus: *Illuminatos oculos habere cordis vestri (Ephes. i, 18).* Ipsi autem

A videri Deum cum videbitur, Christianus ambigit nemo, qui fideliter accipit quod ait Deus ille magister: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Matth. v, 8).* Sed utrum etiam corporalibus ibi oculis videatur, hoc in ista quæstione versamus. Illud enim quod scriptum est: *Et videbit omnis caro salutare Dei (Luc. iii, 6),* sine ullius modo difficultatis sic intelligi potest, ac si dictum fuerit, et videbit omnis homo Christum Dei, qui utique in corpore visus est, et in corpore videbitur quando vivos et mortuos judicabit. Quod autem ipse sit salutare Dei, multa sunt et alia testimonia Scripturarum, sed evidentius venerandi illius senis Simeonis verba declarant, qui cum infantem Christum accepisset in manus suas: *Nunc, inquit, dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum (Luc. iii, 29).* Illud etiam quod ait supra memoratus Job, sicut in exemplaribus quæ in Hebræo sunt invenitur, *et in carne mea videbo Deum (Job xix, 26),* resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetavit, non tamen dixit, Per carnem meam. Quod quidem si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur. Nunc vero potest et sic accipi, *in carne mea videbo Deum,* ac si dixisset, *In carne mea ero cum videbo Deum.* Et illud quod ait Apostolus, *facie ad faciem (I Cor. xiii, 11),* non cogit ut Deum per faciem hanc corporalem, ubi sunt oculi corporales, non visuros esse credamus, quem spiritu sine intermissione videbimus. Nisi enim esset etiam interioris hominis facies, non diceret idem Apostolus: *Nos autem revelata facie gloriam Domini specularantes, in eandem imaginem transformamur de gloria ad gloriam, tanquam a Domini spiritu (II Cor. iii, 18).* Nec aliter intelligimus et quod in psalmo canitur: *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies nostræ non erubescunt (Psal. xxxiii, 6).* Fide quippe acceditur ad Deum, quam cordis constat esse, non corporis. Sed quia spiritale corpus nescimus quantos habeat accessus, de re quippe inexperta loquimur, ubi aliqua, quæ aliter intelligi nequeant, divinarum Scripturarum non occurrit et succurrit auctoritas, necesse est ut contingat in nobis, quod legitur in libro Sapientiæ: *Cogitationes mortalium timidæ et incertæ providentiæ nostræ (Sap. ix, 14).* Ratiocinatio quippe illa philosophorum, qua disputant mentis aspectu intelligibilia videri, et sensu corporis sensibilia, id est corporalia, ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per seipsa mens valeat intueri, si posset nobis esse certissima, profecto certum esset per oculos corporis, etiam spirituales, nullo modo posse videri Deum. Sed istam ratiocinationem et vera ratio, et prophetica irridet auctoritas. Quis enim ita sit aversus a vero, ut dicere audeat Deum corporalia ista nescire? Nunquid ergo corpus habet, per cujus oculos ea possit addiscere? Deinde quod de propheta Elisæa paulo ante diximus, nonne satis indicat etiam spiritu, non per corpus, corporalia posse cerni? Quando enim servus ille munera acce-

pit, utique corporaliter gestum est, quod tamen propheta non per corpus, sed per spiritum vidit. Sicut ergo constat videri corpora spiritu, quid si tanta erit potentia spiritalis corporis, ut corpore videatur et spiritus? Spiritus enim est Deus. Deinde vitam quidem suam, qua nunc vivit in corpore, et hæc terrena membra vegetat, facitque viventia, in-
 teriore sensu quisque non per corporeos oculos novit. Aliorum vero vitas, cum sint invisibiles, per corpus videt. Nam unde viventia discernimus a non viventibus corpora, nisi corpora simul vitasque videamus, quas nisi per corpus videre non possumus? Vitas autem sine corporibus corporeis oculis non videmus. Quamobrem fieri potest, valdeque credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora cæli novi et terræ novæ, ut Deum ubique præsentem, et universa etiam corporalia gubernantem, per corpora quæ gestabimus, et quæ conspiciemus quaquaversum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus. Non sicut nunc invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur per speculum in ænigmate, et ex parte, ubi plus in nobis valet fides qua credimus, quam rerum corporalium species, quam per oculos cernimus corporales: sed sicut homines, inter quos videntes motusque vitales exercentes vivimus, mox ut aspiciamus, non credimus vivere, sed videmus: cum eorum vitam sine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora remota omni ambiguitate conspiciamus. Ita quacun-
 que spiritalia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem etiam per corpora contuebimur. Aut ergo per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo et incorporea natura cernatur: quod ullis exemplis, sine Scripturarum testimoniis divinarum, vel difficile est vel impossibile ostendere. Aut quod est ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu a singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in seipso, videatur in cælo novo et terra nova, atque in omni quæ tunc fuerit creatura, videatur et per corpora in omni corpore, quocumque fuerint spiritalis corporis oculi acie perveniente directi. Patebunt etiam cogitationes nostræ invicem nobis. Tunc enim implebitur quod Apostolus cum dixisset: *Nolite ante tempus quidquam judicare*, mox addidit: *quoad usque veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis, et tunc laus erit unicuique a Deo* (I Cor iv, 5). Huic capitulo sufficere credidimus tanti ac talis viri auctoritatem, caventes epistolæ schedulæ prolixitatem. Nam metuentes vestrum animum circa multa occupatum, et materiam responsionum, sic inter utrumque medium incessum librare conati sumus, ut et veritas ad interrogata pateret, et occupatum animum longitudo non tæderet. Nam nec istius viri alia opera tangere modo libuit, et causa prælibata aliorum doctorum opuscula ponere inter-

A dixit. Maluimus namque appetenti cibos spirituales aviditatem concitare, quam nimietate nostra tædium excitare. Adsunt ergo plurima in sanctis libris de his documenta, quæ et quærentem exerceant, et inveni-
 entem dapsili convivio reficiant. Hæc itaque delibavimus parva, ut dictum est, ut animum discendi avidum provocemus ad majora.

Quæ sequuntur, in veteri codice post superiora subjiciebantur.

QUOD ANIMA SIT IN CORPORE.

Augustinus in sermone 8 Evangelii Joannis: « Nunquid hæc corpus, et non anima, id est habitatrix corporis agit? nec tamen videt oculis, et ex his quæ agit admirationem movet. Quanta agit per corpus attendite: cum subtrahitur corpori, cadaver jacet. »

B Item in sermone 18: « Ibi est imago Dei, in interiore homine habitat Christus, in interiore homine renovaris ad imaginem Dei, in imagine sua cognosce auctorem ejus. Vide quemadmodum omnes corporis sensus cordi intronuntient quid senserint foris. Vide quam multos ministros habeat unus interior imperator. Renuntiant oculi cordi alba et nigra, et cætera quæ ibi sequuntur. »

In sermone 19: « Est ergo ipsa, etiam si sit insipiens, injusta, impia, vitæ corporis. Quia vero vitæ ejus est Deus, quomodo cum ipsa est in corpore, præstat illi vigorem, » et reliqua.

In sermone 29: « Est homo interior, est et exterior. Et ille quidem interior invisibilis, exterior autem visibilis: sed melior interior, quam exterior. »

C In sermone 43: « Quid est ista mors? relictio corporis, depositio sarcinæ gravis: sed si alia sarcinæ non portetur, qua homo in gehennam præcipitetur. » Item ibi: « Inest corpus, sed nullus est sensus: habitatio jacet, habitator abscessit. » Item ibi: « Nam cum illi lapides tollerent ut mitterent in eum, quid magnum erat, ut eos continuo dehiscens terra sorberet, et pro lapidibus inferos invenirent? »

In sermone 44: « In illa nocte dives ardebat, et stillam aquæ de digito pauperis requirebat: dolebat,angebatur, fatebatur, nec ei subveniebatur, et conatus est bene facere dicens: *Et dicat illis, ne et ipsi veniant in locum tormentorum* (Luc. xvi, 28.) »

D In sermone 47: « Mori carni tuæ est amittere vitam tuam: mori animæ tuæ est amittere vitam suam. Vita carnis tuæ anima tua, vita animæ tuæ Deus tuus. Quomodo moritur caro amissa anima, quæ vita est ejus: sic moritur anima amisso Deo, qui vita est ejus. Certe ergo immortalis est anima? plane immortalis, quia vivit et mortua est. Quod enim de vidua deliciosa dixit Apostolus, etiam de anima si Deum suum amiserit dici potest: *Vivens mortua est* (I Tim. v, 6. » Item post alia: « Mortuus est enim pro nobis in cruce, sine dubio caro ipsius exspiravit animam: ad tempus exiguum anima deseruit carnem redeunte anima resurrecturam. » Et post aliquanta: « Omnes enim homines quando moriuntur ponunt animam, sed non omnes in Christo ponunt, et nemo habet potestatem sumere quod posuerit. Christus autem et pro nobis posuit, et quando voluit posuit, et quando voluit sumpsit. Ponere ergo animam mori est. Caro ergo ponit animam suam exspirando. » Et post paululum: « Quid est, caro illum tradidit? caro illum emisit, caro illum exspiravit. Ideo dicitur enim exspirare extra spiritum fieri. Quomodo est exultare extra solum fieri, exorbitare extra orbitam fieri, sic exspirare extra spiritum fieri, qui spiritus anima est. Cum ergo exit anima a carne, et remanet caro sine anima, tunc homo ponere anima dicitur. » Et

anta : « Quære ubi est Apostolus modo. Si adeat in requie cum Christo, verum dicit. quis respondeat, Romæ in sepulcro, et ipse. Illud mihi de anima, hoc de ejus carne. Nec tamen ideo duos dicimus apostolos, unum qui requiescit in Christo, alterum qui in sepulcro. » Et post paululum : « Sed exitium carnis et animæ hominis nomen accipit et singulum atque separatum utrumlibet nomen hominis tenuit. »

one 48 : « Ingressi sumus credendo, egrediendo. Sed quomodo per ostium fidei inuis, sic fideles de corpore exeamus. »

one 4 : « Dormit ergo omnis mortuus, et talis. Sed quomodo interest in ipsis qui dormiunt et exsurgunt, quid quisque videat : alii sentiunt læta omnia, alii torquentia, alii dans dormire timeat, ne ad ipsa iterum : unusquisque hominum cum causa sua in causa sua surgit : et interest quali custodie recipiatur, ad judicem postea producenda receptiones in custodiam pro meritis adhibentur. Alios jubentur custodire libertanum et mite officinum atque civile : alii optionibus, alii mittuntur in carcerem, et non omnes, sed pro meritis graviorum in ima carceris contruduntur. Sicut ergo custodia agentium in officio, sic diversæ mortuorum, et diversa merita resurgens : aptus est pauper, receptus est dives, sed in Abrahamæ, ille ubi sitiret, et guttam non (Luc. xvi). Habent ergo omnes animæ, ut ratione instruam charitatem vestram, habent animæ, cum de sæculo exierint, diversas suas. Habent gaudium bonæ, malæ torquent ut facta fuerit resurrectio, et bonorum amplius, erit, et malorum tormenta grandio cum corpore torquebuntur. Receptum sancti patriarchæ, prophetæ, apostolorum, boni fideles ; omnes tamen in finem sunt quod promisit Deus. Promissa est resurrectio etiam carnis, mortis consumptio, etiam cum angelis. Hoc omnes simul acceptum. Nam requiem quæ continuo post mortem non dignus est, tunc accipit quisque cum prioribus acceperunt patriarchæ : videte ex his, postiores prophetæ, recentius multo recentiores sancti martyres, quod fideles. Et alii in ista requie jam diu non tam diu, alii paucioribus annis, alii in corpore. Cum vero de hoc somno evigilant, ul omnes quod promissum est accepturi

one 57 : « Sed in eis qui jam de corpore et carnis indumento exspoliati sunt, ne ab ea separati sunt, respondet Ecclesia : *unicam meam, quomodo induar eam?* (Cant. i). Ipietur quidem illa tunica, et in eis qui sunt rursus carne vestietur Ecclesia. »

one 65 : « Si enim mors est, quando de anima exit, quomodo non est mors quando amor noster exit? Valida est ergo sicut resurrectio (Cant, viii. 6). »

one 119 : « *Inclinato capite tradidit spiritum.* (xix, 17). Quis itaque vestem ponit quantum, sicut se carne exiit quando voluit? »

inus in quarto libro de Trinitate capite decimo : « Nescit diabolus quomodo illo et in tanto furente utatur ad salutem fidelium suorum. Iussissima sapientia Dei, a fine superiore, in initium spiritalis creaturæ, usque ad finem mundanum, quod est mors corporis, pertendens fortiter disponens omnia suaviter. Attingit enim propter suam munditiam, et nihil inquinatum incurrit. A morte autem carnis alieno unde nimium superbus incedit, mors alterius præparatur in æterno igne tartari, quo

A non solum cum terrenis, sed etiam cum aereis corporibus excruciiari spiritus possint. »

Idem in libro de vera Religione (cap. 28) : « Quid igitur restat, unde non possit anima recordari primam pulchritudinem quam relinquit, quando de ipsis suis vitiis potest? Ita enim sapientia Dei *pertendit a fine usque ad finem fortiter* (Sap. viii, 1). Ita per hanc summus ille artifex opera sua in unum finem decoris ordinata contexuit : ita illa bonitas a summo ad extremum nulli pulchritudini quæ ab ipso solo esse posset invidit, ut nemo ab ipsa veritate dejiciatur, qui non excipitur ab aliqua effigie veritatis. Quare in corporis voluptate quid teneat nihil aliud invenies quam convenientiam. Nam si resistentia pariunt dolorem, convenientia pariunt voluptatem. Recognosce igitur quæ sit summa convenientia : noli ire foras, in te ipsum redi : in interiore homine habitat veritas. » Idem in eodem (cap. 51) : « Si nos miracula spectaculorum et pulchritudo delectat, illam desideremus videre sapientiam, quæ *pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. viii, 1). Quid enim mirabilius vi incorporea mundum corporeum fabricante et administrante, aut quid pulchrius ordinante et ornante? »

Idem in libro de Quantitate animæ (cap. 30) : « Illud quod pati non potest oculus nisi adsit anima, id est quod videndo patitur : hoc solum ibi patitur ubi non est : ex quo cui non videatur nullo loco animam contineri? » Idem in eodem (cap. 31) : « Cur ergo non, cum tam multis argumentis superius editis, atque abs te firmissime comprobatis, planum tibi factum sit, non loco animam contineri, atque ob hoc nullius esse talis quantitatis, qualem in corporibus cernimus? » Idem in eodem (cap. 34) : « Animæ nec natura, nec terra, nec maria, nec sidera, nec luna, nec sol, nec quidquam omnino quod tangi aut oculis videri possit. »

Augustinus in libro decimo tertio de Trinitate (cap. 12) : « Modus autem iste, quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit, sed quod tantum permiserit, juste tamen. Illo enim deserente peccantem, peccati auctor illico invasit. Nec ita sane Deus deseruit creaturam suam, ut non se illi exhiberet Deum creatorem et vivificantem, et inter pœnalia mala etiam bona malis multa præstantem, Non enim continuit in ira sua miserationes suas, nec hominem a lege suæ potestatis amisit, quando in diaboli potestate esse permisit. »

Idem in libro primo (cap. 3) : « Arbitror sane nonnullos tardiores in quibusdam locis librorum meorum opinaturos me sensisse quod non sensi, aut non sensisse quod sensi. Quorum errorem mihi tribui non debere quis nesciat, si velut me sequentes, neque apprehendentes, deviaverint in aliquam falsitatem, dum cogor per quædam densa et opaca viam carperere : quandoquidem nec ipsis sanctis divinatorum librorum auctoritatibus ullomodo quisquam recte tribuerit tam multos et varios errores hæreticorum, cum omnes ex eisdem scripturis falsas atque fallaces opiniones suas conentur defendere? » Idem in eodem (cap. 10) : « Ut in quantum Deus est cum illo nos subjectos habeat, in quantum sacerdos nobiscum illi subjectus sit. Quapropter cum Filius sit et Deus et homo, alia substantia Deus, alia homo, homo potius in Filio, quam Filius in Patre : sicut caro animæ meæ, alia substantia est ad animam meam, quamvis in uno homine, quam anima alterius hominis ad animam meam. » Item idem in eodem (cap. 12) : « Plerumque dicit Filius : *Dedit mihi Pater.* In quo vult intelligi quod cum genuerit Pater : non ut tanquam existenti et non habenti dederit aliquid, sed ipsum dedisse ut haberet, genuisse est ut esset. Non enim sicut creatura, ita Dei Filius, ante incarnationem et ante assumptam creaturam unigenitus per quem facta sunt omnia, aliud est et aliud habet, sed hoc ipsum est quod est, id quod habet. » Idem

in tertio (*de Trin.*, c. 1) : « Illud nunc vivendum est, utrum Angeli tunc agebant, et illas corporum species apparentes oculis hominum, et illas voces insonantes auribus cum ipsa sensibilis creatura ad nutum servicus conditoris, in id quod opus erat pro tempore vertebatur: sicut in libro Sapientiae dictum est: *Creatura enim tibi factori deserviens extenditur in tormentum adversus injustos; et lenior fit ad benefaciendum his qui in se confidunt. Propter hoc et tunc in omnia se transfigurans, omnium nutricis gratia tunc deserviebat ad voluntatem hominum, qui ad te desiderabant* (*Sap.* xvi. 24, 25). Pervenit enim potentia voluntatis Dei per creaturam spiritualem, usque ad effectus visibiles atque sensibiles creaturae corporalis. Ubi enim non operatur quod vult Dei omnipotentis sapientia, quae pertendit a fine usque ad finem fortiter? » et reliqua.

In Levitico tertio: *Anima quae juraverit et protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene, et id ipsum juramento et sermone firmaverit oblitique postea intellexerit delictum suum, agat penitentiam pro peccato, et offerat agnam de gregibus sive capram, orabitque pro ea sacerdos, et pro peccato ejus* (*Lev.* v, 4-6). In eodem quarto: *Anima quae peccaverit, et contempto Domino negaverit depositum proximo suo, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit; sive rem perditam invenerit, et inficiens insuper perjuravit, et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus peccare solent homines, convicta delicti, reddet omnia quae per fraudem voluit obtinere integra, et quintam insuper partem domino, cui damnatum intulerat. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, et dabit eum sacerdoti juxta aestimationem mensuramque delicti. Qui rogabit pro eo coram Domino, et dimittetur illi pro singulis quae faciendo peccaverit* (*Lev.* vi, 2-7). In eodem trigesimo sexto: *Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum. Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui: ego Dominus* (*Lev.* xix, 11, 12). In Deuteronomio tertio: *Non usurpabis nomen Domini tui frustra, quia non erit impunitus qui super re vana nomen ejus adsumpserit* (*Deut.* v, 11). In libro Regum secundo, capite 92: *Facta est quoque fames in diebus David tribus annis jugiter; consuluitque David oraculum Domini, dixitque Dominus: Propter Saul, et domum ejus, et sanguinem, quia occidit Gabaonitas. Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos (porro Gabaonitae non erant de filiis Israel, sed reliquiae Amorrhavorum: filii quippe Israel juraverant eis, et voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel et Juda). Dixit ergo David ad Gabaonitas: Quid faciam vobis, et quod erit vestri piaculum, ut benedicatis hereditati Domini? Dixeruntque ei Gabaonitae: Non est nobis super argento et auro questio, sed contra Saul, et contra domum ejus, neque volumus ut interficiantur homo de Israel. Ad quos ait rex? Quid ergo vultis ut faciam vobis? Qui dixerunt regi: Virum qui attrivit nos et oppresit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe ejus in cunctis finibus Israel. Dentur nobis septem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos in Gabaath Saul quondam electi Domini. Et ait rex: Ego dabo. Pepercitque rex Miphiboseth filio Jonatham*

A *filiis Saul, propter jusjurandum Domini quod fuerat inter David et inter Jonatham filium Saul* (*II Reg.* xxi, 1-7). In fine hujus sententiae dicitur: *E repropitiatus est Dominus terrae post haec* (*II Reg.* xxi, 14). Salomon in Proverbiis: *Egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei* (*Prov.* xxx, 9). In Jeremia propheta Hieronymus libro primo: *« Et jurabis: Vivit Dominus in veritate et judicio et justitia, et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt* (*Jer.* iv, 2): et quomodo Evangelium jurare nos prohibet? Sed hic jurabis pro confessione dicitur, et ad condemnationem idolorum per quae jurabat Israel. Denique auferuntur offendicula, et jurat per Dominum, Quodque dicitur, *vivit Dominus*, in Testamento Veteri, jusjurandum est ad condemnationem mortuorum, per quos jurat omnis idololatria. Simulque animadvertendum, quod jusjurandum non habeat comites, veritatem, judicium, atque justitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium. » Libro secundo: *« Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis, furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter* (*Jer.* vii, 8). Frustra eos in templo habere fiduciam sequentia peccata demonstrant. Quid enim prodest audacter ingredi limen domus Dei, erecta stare cervice, non solum cor, sed et manus habere pollutas, furto, homicidio, adulterio, perjurio, sacrilegio? » Hieronymus in Ezechielem, volumine primo, libro quinto: Nunquid prosperabitur vel consequetur salutem qui fecit haec? et qui dissolvit pactum, nunquid effugiet? *Vivo, dicit Dominus Deus, quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, et solvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur* (*Ezech.* xvii, 16). Qui dissolvit, ait, pactum, nunquid effugiet? Ex quo discimus etiam inter hostes servandam fidem, et non considerandum cui, sed per quem juraveris. Multo enim fidelior inventus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, et deceptus est, te qui per occasionem divinae majestatis hosti tuo, imo jam amico, es molitus insidias. *Ecce, inquit, dedit manum suam regi Aegypti, et tradidit se, et perjurii contra Deum commisit sacrilegium. Nunquid, ait, proderit ei? et cum omnia haec fecerit non effugiet. Sententia secularis est:*

... Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?

quam solent nobis opponere qui dicunt hostes fraude decipiendos. Cui ut acquiescamus, multo pejus fecit Sedechias. Non enim hostem decepit, sed amicum, cui foedere Domini fuerat copulatus. Ergo quandiu non jures, et pactum incas sub nomine Dei, prudentiae est et fortitudinis, vel decipere vel superare adversarium utcumque potueris. Cum te constrinxeris juramento, nequaquam adversarius, sed amicus est qui tibi credidit, et sub occasione jurisjurandi, id est Dei nuncupatione deceptus est. Propterea Scriptura nunc dicit: *Juramentum quod sprevit, et falsus quod pravvaricatus est, ponam in capite ejus* (*Ezech.* xvii, 19). Ac ne putaremus juramentum et foedis et pactum regis esse Babylonii, vel Sedechiae qui fecerat, sequitur: *In pravvaricatione qua deperxit me* (*ibid.*, 20). Ergo qui contemnit juramentum, illum despicit.